



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

308. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut non citò ira commotus aliquem Episcopus excommunicet. *Ex epistola Evaristi Papa.*

Concil Tri-
bur. c. 22.
Burchard. lib.
11. c. 9.

Genes 18.

CCCVII. Deus omnipotens, ut nos à præcipitata prolatione sententiæ compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare priusquam manifestè agnosceret quæ dicebantur. Unde ait: *Descendam, & videbo utrum clamorem qui descendit ad me opere compleverint, annon est ita, ut sciam.* Cujus exemplo monemur ne ad proferendam sententiam unquam præcipientes simus, aut temerè indiligenterque indiscussa quoquo modo judicemus.

De eadem re. *Ex dictis Gregorij.*

Job. 29.
S. Gregor. lib.
19. Moral. c.
23.

CCCVIII. Beatus Job dicit: *Causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* Summopere præcavere debent rectores Ecclesiarum, & qui publica judicia exercent, ut in dictandis sententiis nullatenus levitate aut furore ducti sint præcipientes; sed causis prius diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur pleniter ad notitiam venerit, tunc divina & humana lex revolvatur, & secundùm quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, definitiva proferatur sententia. Hinc est quòd Moyse querelas populi semper ad Dominum, tabernaculum ingressus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat; nimirum nos instituens ut non ex corde nostro, sed ex oraculo divino, condemnationis vel justificationis sententiam proferamus.